

**www.e-rara.ch**

**Guidonis Ferrarii Opusculorum collectio**

**Ferrari, Guido**

**Lugani, 1777**

**Biblioteca Salita dei Frati, Lugano**

Shelf Mark: BSF 4 Ia 3

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-12430>

Actio secunda.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---


**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

*ACTIO SECUNDA.*



CAUSA JUDICIALIS

AB ACADEMICIS ANIMOSIS

HABITA VI. NON. MAIJ. MDCCLV.

C O R A M

JOSEPHO CARDINALE

PUTEOBONELLO

ARCHIEPISC. MEDIOL.

A SUA ECCCELLENZA  
IL SIGNOR CONTE  
D'ARRENTI TROVATI  
ATTIO SECONDA  
CAUSA JUDICIALIS

AB ACADEMICIS ANIMOSIS  
HABITA VI. NON. MAR. MEDICAE  
C O R A M  
JOSEPHO CARDINALE  
PUTERBOROVELLO  
ARCHIEPISCO MEDIO



# ARGUMENTUM.

**L**eoigildus Gotthorum in Hispania Rex, Arianus ut plerique tum Gothi, duobus auctus filiis fuerat ex Theodosia uxore, Hermenegildo scilicet, & Reccaredo. Hos ætatem adeptos Reges dixerat, regnique consortes fecerat ditione tripartita: id eo consilio, ut in familia constitueret sua successionem regni, antiquaretque jus suffragii, quo Gotthorum Proceres eatenus soliti fuerant creare Reges. Interim Theodosia defuncta Gofvindam secundis nuptiis duxerat, arrogantem, Arianarumque partium studiosissimam faminam. Non multos post annos Hermenegildo juncta est Ingundes Sigeberti Francorum Regis filia. Hanc Gofvinda ut in sectam suam traheret, blanditiis initio, tum minis contendit; neque contumeliosa, iracunda, altero etiam capta oculo deformis se tenuit foemina, quin in nurus capillos involans innocentissimam raptaret, præcipitemque cum vitæ periculo in piscinam daret. Frustra omnia: imo Ingundes virum ad Catholicam Religionem traduxit. Sed Leovigildus de commutata Hermenegildi Religione certior factus, Gofvinda novercali odio faces subdente, bellum indicit filio, nisi ad Arianos redeat. Illo in sententia persistente comparantur utrimque arma. Accersiti ab Hermenegildo in auxilium Romani, qui suarum provinciarum præsidio in Hispaniis erant; eadem de causa missus Constantinopolim S. Leander Episcopus Hispalensis ad Tiberium Augustum. At Leovigildus cum ceteris ad defectionem sollicitatis, tum oppugnatis Romanis auro, Beticam infestis ingreditur signis, ( hoc ex tripartita ditione Patris Hermenegildo regnum

gnum obtigerat ). Hispalim cum victore progreditur exercitu ,  
qua se urbe munitissima Filius defendebat . Post annuam obfi-  
dionem deficiente obsessis annona urbs deditur , Hermenegildus  
elabatur . Tamen non ita post multo Reccaredo fratre hortan-  
te , spondenteque , addita etiam juramenti religione , fore pla-  
catum patrem , si veniam precaretur , Hermenegildus templo , quo  
in asylum perfugerat , egreditur , Leovigildi pedibus advolvi-  
tur . Veniæ simulatione excipitur osculo ; mox tamen regiis in-  
signibus detractis in carcerem datur . Ne multa , adveniente Pa-  
schatis festo , cum submissum a Patre Arianum Episcopum re-  
pulisset , Leovigildus e vestigio securi percuti filium iussit . Mors  
accidit A. 586. *V. Marianam de Reb. Hisp. l. 5. c. 12.*

His rebus ad historiæ notitiam propositis , eloquentiæ ergo  
Causam Judiciale instituiamus .

271  
 gnus obligat. ) Hispanum cum virore progrederetur exercitum  
 per se uidebatur. Post annuum ob-  
 ditionem decessit. obditi annua uidebatur. Hermenegildus  
 elabatur. Tamen non ita post multo Reccaredo fratre horti-  
 te. Iphodunepus, addita etiam iuramentum religionis, fore pla-  
 cetum patrem, si ueniam precaretur. Hermenegildus templo, quo  
 in asylum pergerat, egressus. Leovigildus pedibus aduoluit  
 tur. Venit inuisione excipitur oculo, mox tamen reuulsus in-  
 a subus deorsum in terram cecidit. No multo, aduentum Re-  
 ccardi scito, cum submisit a Patre Arrianum Episcopum re-  
 putat. Leovigildus vestigio secutus peruenit Alium ianu. Mors  
 accidit. A. 586.

# ACTORES SUNTO

Theutigildus Dux Exercitus

Accusator.

Virigildus Confiliarius

Defensor.

Reccaredus Hermenegildi Frater

Deprecator.

Leovigildus Pater, Rexque

Judex.

# THEUTIGILDUS

## ACCUSATOR.

**A**ccusationem molestam & gravem, justam ac legitimam Rex assero. Regni, Reipublicæ, Exercitus nomine Hermenegildum, acerba vox! ita, inquam, Regis filium Religionis, Majestatis lege postulo. Mei me pœnitet, qui, cum omnium semper fortunas cum vitæ periculo hætenus quidem defenderim, cogor Regni hæredem capitis arcessere. Huccine, Superi, toties præliorum perfunctum casibus, vulneribus, mortique ereptum reservastis? Sed aut hoc militare imperium tua, Leovigilde, Gentisque gratia collatum nunquam erat capeffendum, aut violata majestas defendenda.

Tuam quidem Rex vicem doleo: Patris miserrimi calamitosam fortunam! qui de filii periculo cum doleat, sceleri vertitur, si ignoscat. Sed antestat patriæ pietati charitas reipublicæ; indulgentiæ sensum vincit devota religioni fides. Nam quis te furor degener Hermenegilde de sana mente deturbavit, ut Patrem in periculum vocares, in Catholicorum partes transfires, nostræ gentis repente hostis existeres? Quid Romani, quid nostri de mysteriorum sacris disputent, quo jure de Religione contendant, non me attinet quærere, illa multo tibi, Rex, utiliora didici, quibus artibus amplificentur regni fines, cum hostibus debelleretur.

Sed compertum ego habeo religionis auctoritate niti imperia; & tantum auctoritatis Regnantibus accedere, quantum casto Dei immortalis cultu, morumque conscientia animi conti-

nentur. Magna mihi esset copia memorandi, qui Reges his studiis se, suumque regnum celebraverunt. Sed malo dicere, a quibus initiis majores nostri ex tam parvo tam magnum nobis imperium reliquere. Est enim vero Gotthorum ubique terrarum illustre nomen, maxima bello fama, diuturnitate firmum, florentissimumque Regnum. Sed initio neque arma, neque magnitudo exercituum, neque virtus valuerant: tum Romanis Sacris obstricti erant animi.

Sed postquam mentes ad Arium converti cæpere, ingenium, animus, postremo arma, viresque creverunt: ea propter majoribus Ariana auspiciato Religio probata est. Hanc universi votam sacram habere; ad hanc minores natu excolere; hanc nepotibus commendare, & fatalem nostro imperio credere: illa quantum valuerit, tandiu Regnum staturum; si illa a nostris animis exciderit, nobis occidendum esse: eundem Arianae fidei, & Gotthorum magnitudinis finem fore. Hic sensus ita nobis est inditus, ita opinione inveterata altissime defixus animis, ut iidem, qui avitæ religionis, Regni semper sint habiti, habeanturque hostes.

Harum non erat rerum nescius Hermenegildus; tamen non obscure sed aperte, non occulte sed palam, intuente, ingemiscenteque Gotthorum gente patriæ Religionis contemptor, defertor, proditor extitit. Spreti omnes sumus: populi majestas violata. Quæ cum vivo, ac regnante te, Leovigilde, viderint, in suspicionem perditissimi consilii vocatus es Pater. Hominum tu hercule criminationes depulsi gravi bello persecutus filium, nunc tua cum sit filius perduellis in potestate, quæ sint hominum cogitationes, quæ expectatio, te magis decet cogitare, quam me, qui casus omnes metuo, popularisque iræ testis adito. Supervacaneum est plura verbis persequi: præclare facere magis, quam dicere doctus sum; & frustra oratione hortere, quem non periculum movet.

Tu

Tu quid statuas pende ; & illud cogita , ecquam Regiæ etiam Majestatis violatæ velis pœnam esse . Proh Superum fidem ! Maximum bellum , ac vehemens conflatum , sollicitati omnes ad arma Hispani , tumultus , seditionesque ubique concitatæ , in conjurationis societatem vocatæ finitimæ gentes , ab extremo Oriente Augusti legiones accersitæ ; hæc in Patrem perpetravit filius ; regno auctus , beneficiis exornatus , tamen ipsemet in armis , in acie contra Leovigildum stetit ; regnum , vitam Patris expetiit , & erunt qui pœnam deprecantur ? Parcas censeo Hermenegildo Pater , si ipse sibi , & adolescentiæ suæ pepercit , si officii , & pietatis memor fuit , si perfidiæ , atque impietatis immemor . Quod nisi Superum immortalium favor perniciem a regio capite avertisset , stirps esset regia extincta , paterno manus sanguine filius cruentasset sacrilegus , & parricida . Sed nostra virtute , tuis , Leovigilde , auspiciis si conquierunt animi , si de feriorum manibus arma extorta sunt ; atque ipsum Superi , ipsum paterno inhiantem sanguini Hermenegildum in manus dedere , tu , quid jam statuendum sit , cogita . Caveris , ne paterno sensui magis , quam religioni , Regiæque Majestati afflictæ tribuas . Nisi vindicaris , quo Gotthorum animi , quo indignatio , commotæque mentis ira sæpe alias progressa sit , haud equidem tu met ignoras .

## VITIGILDUS

## DEFENSOR.

**S**Ane ego, Leovigilde, intelligo, quidquid hodie consuluerim, fubeundam mihi opinionem esse ementitam illam quidem, ac falsam, sed gravem, odiosam, plenam suspicionis, atque periculi. Etenim si Hermenegildi defensor accedam, est verendum, ne plus misericordiæ quam erga Regem studio tribuisse videar: si extremi consilii hortator extitero, non me fallit omnem, quæ necato filio est secutura, in eos, qui suaserunt, redundaturam infamiam.

Et illud scio non eadem mihi ratione, ac Theutigildo, licere consulere. Alia militaribus hominibus, alia togatis est licentia. Celeriter providendo, animadvertendo, vindicando judicia procedunt bellica: diligentius consultando, quid jus, quid fas postulet considerando, nostrum omne judiciale genus continetur. Non idem jus belli, ac pacis; non eadem in castris, atque in curia leges dominantur: suis institutis militaris stat disciplina; item suis Reipublicæ actio, & administratio geritur: quæ si vigent, imperium justum, ac legitimum habetur; nisi valeant, regia potestas in tyrannidem desleat. Commemorare possem, qui Reges, aut qui populi legibus parendo, jus, & æquum administrando, magni, & clari extiterint; contraque, pervertendo, se, regnaque funditus everterint.

Utinam mihi, & Theutigildo ita de ceteris rebus deinceps semper conveniat, quemadmodum, quod ad Regiam dignitatem attinet, ad hunc diem convenisse satis constat. Illud tu tamen hodie

hodie mihi velim Theutigilde, ignoscas, si, cum omnibus consiliis Regis semper gloriæ magis, quam privato cujusquam officio prospexi; tum ne tuam quidem hodie sententiam Regiæ dignitati antepono. Quid ego sentiam æquum est me dicere, cum omnia attenderit, Leovigildi erit, quid se deceat existimare.

Atque initio novi iudicii nova forma nimis grave præjudicium in Regiam dignitatem invehit. Hermenegildum in iudicium vocat Theutigildus: Dux exercitus accusator, Regis filius reus, Judex Pater. Est hæc inusitata ratio, est ante hunc diem inaudita, contra consuetudinem, contra humanitatem, contra naturam. Omnia metuo in hac causa, omnia obversantur animo, rei insolentia, anceps periculum, expectatio multo acerbior, populare iudicium, finitimorum opinio, adversariorum calumnia, indignitatis species, imago crudelitatis.

Quo diligentius in causa tam suspiciosa, tamque præjudicata te curare decet, Leovigilde, ne plus iracundiæ des, quam patria charitas postulat; ne temere procedere iudicium si nas magis, quam æquitas, humanitasque patitur; ne denique iudices, nisi manifestum non obscurum, grave non commune, nisi inexpiabile, invidiosissimum, maximum sit crimen.

Jam vero quod tantum, tamque nefarium Hermenegildi scelus? Filium apud Patrem criminatur Theutigildus de Romana fide? Per Superos quæ hæc accusatio, quod crimen? Quid si esse concedam? Quo tua, accusator, progreditur oratio? Omnesne Catholicos capitis arcesses? Uno Religionis scelere reos criminaberis? Omnes igitur Hispanienses scelerati, qui tamen & Regi parent, & utilem pace, ac bello operam præstitere: ipse Leovigildus non scelere vacabit, qui Ingundem Romanæ addictam Religioni regiam virginem ex Galliis advocavit, & Filio nuptui tradiderit?

Quid autem si crimen esse negem; probabis? An lex vetat? Profer istam legem, & magnum Gotthorum numerum in  
itius

istius societatem criminis impelles. Itaque quod ceteris libere, ne impune quidem Hermenegildo licuerit? Judicium tu de capite institues, reum ad Tribunal pertrahes, denudari, colligari ad palum, capite plecti iusseris? Lenius agimus cum popularibus, repente feveri, ac crudeles erimus in Regis Filium, Regem ipsummet?

Haecenus, Rex, nihil video in hac causa, quare animadvertere te in filium deceat; nisi crimini vertitur, quod majorum fidem, in qua altus fuerat, & educatus reliquerit, transfuga repente ad Catholicos extiterit. Sed qui ita existimant, vereor ne non satis, quo eorum processura sit oratio, intelligant. Libere Rex dico, nec tuas tacitas cogitationes extimesco: quid religioni non minus, quam quid Regi debeam, scio. Sed si Hermenegildus nocens, quod ad Catholicos repente defecit; metuo ne orbis terrarum iudicio nocentes omnes accusemur.

Non ignoras Leovigilde, quæ communis hominum sit querela, quæ criminatio? Tu tu met non ita semel, qui tui esset sensus animi, prodidisti, cum diceres recte, sapienterque iudicanti videri, minus prudenter fecisse majores nostros, cum Ariosefese temere dedere. Igitur Ariani omnes transfugæ, omnes veteris religionis desertores, fontes omnes, quod veterum Sacris posthabitis, contemptis atavorum institutis ad Arianam istam consuetudinem deflexere.

Scire velim ecquid responsi habeas Theutigilde? Reum dices Hermenegildum? Omnes nos rei Ariani innoxii? Innoxius igitur, atque innocens Hermenegildus. Ratione mihi crede, & consilio, non militari, non præpostero iudicio nunc est opus. Qui Romanam fidem tuentur, & observant, didici sunt late, ac fusi per orbem terrarum. Orientis extremæ plagæ, Italia omnis, omnes Galliæ, reliquæ Hispaniæ, magnaque multitudo in gremio huius Imperii pro Catholica sunt Religione. Tu Gotthos dumtaxat nostros, & exercitum spectas. Sint illi (do utlibet, neque nunc

nunc quero ; postea videro ) in tua sint sententia , commune cum illis tuum sit iudicium . Sed me orbis terrarum iudicium terret , ne iniquius consuluisse videamur : terret opinio , atque existimatio posteritatis , ne Leovigildi nomen intestabile , ac crudele audiat : neque non etiam Sigebertum Galliae Regem hominem huic jamdiu imperio gravem , & ambitiosum metuo , ne Generi mortem bello periculoso , & maximo persequatur . Hæc me terrent , hæc in hac causa consulentem admonent , ne iræ magis , quam famæ , neu odio potius , quam æquitati tribuendum statuam .

Sed enim Ermenegildus arma contra Patrem cepit , bellum magnum conflavit , Patriam , Regiam majestatem appetiit ? Equidem mallet Ermenegildus omnia patriæ pietati posthabuisset ; Regno magis cessisset , quam ut apertum in bellum contra Leovigildum prorumperet : sed ( liceat Rex isto in privato proloqui consilio , quod pervulgatum , nimis quantum Reginae nomini detrahit ; libere dicam , quod tu met cum gravissimo sensu animi bene sæpe conquestus es ) sed , inquam , si Golvinda Noverca irato , cur nescio , in Ermenegildum animo Regem inflammabat , ut religionis causa filium armis peteret , si omnia impotentis foeminae consilia eo referebantur , ut regno , fortunisque omnibus privignum spoliaret , si Ingundem Ermenegildi conjugem eo ortam genere , ea præditam virtute quotidie exagitans non conviciis solum , contumeliisque magnis affecit ; sed continenti vexatione laceravit , sed a manibus non temperavit , sed ( o grave inflictum Regiæ vulnus dignitati ! ) sed crudelissime comis abreptam per totam aulam raptavit , virgis cædi iussit , atque innocentissimæ foeminae sanguine Regiam contaminavit ; si omnia non ignorabat Ermenegildus , ecquid mirum , si exulcerato adolescens animo in regnum suum discederet , se circumspiceret , sibi caveret ab Patre , quem infestæ Golvindæ consiliis irretiri putaret ; si bellum Patre interminante arma , & auxilia comparavit .

Sed

Sed erravit: nulla enim satis iusta filio esse potest adversus Patrem excusatio. Totum tamen huiusmodi crimen imprudentiæ potius, & timori iustissimo, quam impietati, aut perfidiæ est tribuendum; nihilque in hoc est, Leovigilde iudicio, quod non magnopere dignum Patris clementia esse videatur. Agitur de privigno, cuius animum novercæ contumelia, conjugis amor iustus, ac debitus incenderit: agitur de Rege, quem scæmina irata, & contumeliosa insidiis, neque jam obscure, petere, Regno spoliare studuerit: de filio denique agitur, qui Patrem mulieris inimicæ odio a se abalienatum viderit, religionis causa petitum se bello senserit.

Si hic erat animus, ut de Patris morte cogitaret, cur fugitivus ad Patris pedes accidit? Cur loci sanctitate securus, ultro sese, omniaque Leovigildo dedit? Cur filio Pater dexteram dedit amoris, ac fidei testem? Miror, Theutigilde, omnia te præterisse, quæ lenire Patrem possent; omnia concessisse, quæ ad iracundiam provocarent. Tu quid agas, videris; opinioni consule. Nam quæ tibi spes Hermenegildo extincto? Quæ cogitationes Regia stirpe ad unum deducta Reccaredum? Ambitionis, præsentisque magnitudinis tuæ cave non eosdem esse fines vulgus existimet.

Conjuratæ tu metum, murmur multitudinis oggeris Regi? Novo hoc causæ, iudicii que genere perturbati quid populi sentiant, quid conquerantur, quem accusent, si cogitaris, tuæ melius laudi, integritati, fidei prospexeris? In tua est potentate hominum de te rumoribus satisfacere; quæ velis de te iudicia esse, statuere.

Sed me plura dicere parantem huius Reccaredi aspectus reprimat. Video hunc lacrymantibus oculis te intuentem, Rex, fratris miserrimi periculum deprecantem; qui hoc squallore, & luctu qua sit pietate, declarat. Si amanter, si pie, si cum gemitu facit, moveant te huius lacrymæ pueri, moveat patriæ cha-

charitatis sensus. Si deliquit Hermenegildus, dedit poenarum satis. Pulsus Regno, fortunis omnibus spoliatus vidit conjugem optimam a se distractam, profugam, errantem, ubivis magis quam in Regno suo tutam: ipse raptatus in carcerem, squalore, tenebris obrutus, catenis oneratus, miseriis coopertus, graviore morte ipsa vitam exigit. Si non pertulit satis, jube filium protrahi ad inimicissimorum suorum pedes; exple regio sanguine invidorum crudelitatem. Tantum cogita, quidquid statueris judicio posteritatis obnoxium fore, nullaue ætate, si parricidii calumniam tuleris, delendam.

## R E C C A R E D U S.

### PRO FRATRE PERORANS.

**A**D te vero, Leovigilde, non ego Regem, non Judicem accedo: pro fratre frater, Patrem filius appellabit. Miserri-me Hermenegilde, Theutigilde crudelis! Quid tu iterum infestum filio patrem redderes? Regem placare potui, exercitus ducem non potero? Hermenegildi sanguine tibi indulgeri æquum arbitrabere? Sed quid hunc accuso? Te te ego ista, Hermenegilde, virtute, & probitate in tantas ærumnas conjeci: ego tibi de pater-  
terna gratia sponsor extiti; tu me hortatore, cum loci tuere-  
tur te sanctitas, Patris advolutus es pedibus; Regis clemen-  
tiam appellasti; veniam petisti. Movere, Leovigilde, te lacry-  
mæ, movit pietas; dexteram fidei testem Filio Pater porrexi-  
sti. Jam quid agam, aut quos potissimum implorem, si pater-  
ni amoris, regiæque fidei præsidia eripiuntur, si jura omnia vio-

tantur? Hem mi frater, frater animo meo carissime, quo mea te pietas imprudens impulit? Nisi meus me animi sensus fefellisset, equidem nulla te excepisset injuria: nunc Regno exturbatus, libertate amissa, in tanta mala præcipitatus, quid reliqui habes præter miseram animam? Sed urinam haberes; neque ob crudelitatem inimicorum vita in dubio esset. Jam, jam, Hermenegilde, tametsi clausum in tenebris, absentem, voco frustra, tamen si quis tacitus fraternos animos sensus afficit, fratris tui officium ultimum accipe, Reccaredi tui lacrymas vide, quibus a Patre supplex tuam salutem petit. Si, Pater, ille tibi dies gratissimus, si exercitui jucundissimus fuit, cum te vidimus in castris reconciliatum filio, ne te oro beneficii pœniteat: valeat tua vox illa, quæ erranti ignovit; fratres duos conjunctissimos sibi ipsos condona. Me miserum! petet Theutigildus, dabitur; postulabit Reccaredus, non habebit! Per te, per patrium nomen, quo nihil est in terris sanctius, da Leovigilde Reccaredo fratrem.

## LEOVIGILDUS.

## J U D E X ,

**T** Empera querelis fili; non id loci, aut temporis debentur lacrymæ; cum post me regnaris, scies, quid oneris regia Majestas regnantibus afferat. Quod filio debuit pater, præstiti, fugitivum ad me me recepi, amplexus sum. Quod populo, exercitui, sibi Rex debet, ne solvam, tu vetueris? Ultra quam æquum est postulas. Tamen hoc etiam exoratus patriæ charitati tribuo. Paschatis solemnia Sacra haud ita multum absunt: illo die nefas de sacris non communicare Mysteriis. Ad Hermenegildum Dei Immortalis sacerdos ex me mittetur: filius si acceperit, jam nunc Hermenegildum sibi, mihi, tibi, Reccarede, restituo, doque: secus si faxit, desleo equidem filium meum, semperque deslebo. Quam illi debeo caritatem, exsolvam Reipublicæ Superi mihi, vosque este testes, si filium pertinacia pendet sua.

A SUA EMINENZA

IL SIGNOR CARDINALE

GIUSEPPE POZZOBONELLI

ARCIVESCOVO DI MILANO

RENDIMENTO DI GRAZIE.

SONETTO.

**S**ignor, ch' io parta o che ritorni a questa  
 Al vergin Coro non ignota sede,  
 Memoria veggio su la foglia il piede  
 Ferma, e a parlar di Voi mai sempre desta:

Qui 'l plettro d'or con man leggiadra e presta  
 Giovinetto trattò, quì fiato diede  
 A maggior tromba, e di virtù mercede  
 Cinse di lauri e fior ghirlanda intesta;

Quì senno, e maturi attri, e onesti sguardi;  
 E ad angelico oprar compagna fida  
 Modestia gli splendea nel dolce aspetto;

Dice, e accennando i venturi anni e tardi:  
 Ch' Ei d'Oltro ornato anco fra noi s'affida  
 Fia del mio lungo sovvenir soggetto,